



Continuatio in hoc libro

- 1 Disputationes 24. In Confessione August. ^{Hutteri}
- 2 Sadnel Eluciforans nos disp. 1.
- 3 Axiomas brevis de sacro physico casu in diuinis M. Fied. 3 Alduini
- 4 Disp. de Prae. Actu tum p[ro]p[ri]o tum officio. Hofmann.
- 5 Disput. 1. de Coena Dni. eisdem. assertes ^{de p[ro]p[ri]o & m[ul]ta}
- 6 Disput. 4. de Coena Dni. Hofmanni ^{de p[ro]p[ri]o & m[ul]ta} ex cap. 1 Cor. 10.
- 7 De noticijs Dei & voluntatis ipsius Hofmanni
- 8 Drey vnterschiedliche beschreibungen an d[ie] Consistorium zu
Leipzig, vnter abhoffung des Exorcismi
M. Georgij Lystarij.

Geß

Sammelband

30

DISPUTATIO XVIII.
DE POENITENTIA ET
CONFESSIONE

*Ex XI. & XII. Confessionis Augustanae Articulis:
Item IIII. Abusum mutatorum.*

De qua

Auxiliante Deo Trinuno

Praside

LEONHARTO HVTTERO, S. Theo-
logiae Doctore, & Professore publico:

Respondebit

*M. CASPARUS PAMLERUS
Reichenbacensis.*

Mense Aprilij, horis locoq; solitis.



WITTEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri,
Anno cl. l. XCVIII.

DE HOLLANDIA

IN HOLLANDIA

IN HOLLANDIA

IN HOLLANDIA



DE POENITENTIA.

Thesis I.



Ulm D. Hieronymo teste, miseris mortali-
bus nullum aliud relictum sit medium, quo vestis *Hieron. in*
innocentiæ in baptismo accepta, postmodum autem *Daniel.*
peccatis contra conscientiam corrupta, reparari
queat, quàm Contritio & Fides: Methodo rursus
convenientissima usi Confessores nostri, Sacramentorum doctri-
næ, tractationem de Pœnitentia subijciunt.

I.

Expeditur autem hæc disputatio tribus potissimum Arti-
culis undecimo, & duodecimo: ac Quarto Abusuum mutato-
rum: ita tamen ut solus duodecimus veræ Pœnitentiæ naturam
& partes explicet: Reliqui verò duo circa Confessionis tam pri-
vatæ, cujus nostris in Ecclesijs hodieque est usus, quàm Pontifi-
ciæ illius Quæstionem unice occupentur.

II.

Obtigit Articulo duodecimo variatio quædam, sed leviuf-
cula, pluribus verbis idem repetens & explicans: quæ prototy-
pi brevitati & perspicuitati merito cedit.

III.

Nos solum & Methodum Confessionis nostræ secuti, dispu-
tationis hujus partes duas constituimus: θετικὴν unam: ἀντιθε-
τικὴν ἢ ἐγκλιματικὴν alteram.

PARS I. ΘΕΤΙΚΗ.

V.

Θεσις istarum Quæstionum diexodon expedit: 1. An re-
nati gratiâ semel accepta possint excidere. 2. An lapsis ad Eccles-
siam & gratiam DE I postliminiò pateat reditus. 3. Quæ partes
Pœnitentiæ.

*Questio I. An renati gratiâ semel acceptâ
possint excidere.*

VI.

Confessio nostra lapsis post Baptismum contingere posse
remissionem peccatorum asserens, haud obscure innuit, labi pos-
se

se renatos, & tales lapsos in Ecclesia quovis tempore reperire plurimos.

VII.

Affirmati hujus veritatem astruunt & testimonia & exempla ἔγγραφα: quæ renatos fidem & Spiritum Sanctum amittere, gratia DEI excidere, & nisi per poenitentiam redeant, æternum perire, ac finaliter excidere posse, liquidò testantur.

VIII.

Exod. 32, 33. Iezech. 18, 24. Qui peccaverit mihi, clamat ipse de cœlis Iehovah, delebo eum de libro vitæ: Et si averterit se justus à justitia sua, nunquid vivet? in prævaricatione, qua prævaricatus est, & in peccato suo, quod peccavit, in ipso morietur.

IX.

Luc. 11, 24. & seqq. Idem Servator pluribus explicat, cum, inquiens Spiritus immundus exierit ab homine, ambulat per loca arenia, quærens requiem: & non inveniens, dicit, revertar in domum meam, unde exivi: & cum venerit, invenit eam scopis mundatam: Tunc vadit & assumit septem alios Spiritus nocentiores ipso, & ingressi habitant ibi, & fiunt extrema hominis illius pejora primis.

X.

Rom. II, 22 & 23. Paulus vide inquit, bonitatem ac severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem: in te verò bonitatem, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris: Et illi rursus, si non permanserint in incredulitate, inferentur. Potest enim Deus denuò illos inferere.

XI.

Rom. 8, 13. Hinc Romanis, certè renatis, hunc subinde ingeminat Aphorismum; Si secundum carnem vixeritis, moriemini: Et Gal. 5, 4. latis suis, prius conversis graviter attestatur, nisi maturè pedem referant, fore, ut gratia excidant, & Christus eis nihil profit.

XII.

1. Cor. 9, 27. Quin de semetipso idem disertè fatetur Apostolus se subigere corpus suum, & in servitutem redigere, ne quo modo fiat, ut cum alijs prædicârit, ipse reprobus efficiatur.

XIII.

2. Pet. 2, 20, & 21. Adstipulatur D. Paulo etiam Petrus, aperte asserens eos, qui refugerant ab inquinamentis hujus mundi per agnitionem Domini & Servatoris nostri Iesu Christi, his rursus involutos superari posse, ita ut postrema fiant deteriora primis &c.

14. Et

XIV.

Et profectò nisi fidem semel adepti, rursus eandem amittere possent, quis obsecro tot admonitionum ad perseverantiam, quis precationum illarum foret usus, quibus renati, ne projiciantur à facie Dei, sanctusq; Spiritus ab ipsis auferatur, adeò sollicitè Deum invocare leguntur?

Ioh. 5, 14.

1. Cor. 10,

12.

Psal. 51.

19.

XV.

Suffragatur his Orthodoxa etiam Antiquitas: ut Chrysostomus, scribens: Non solum opera bona sanctorum nobis sunt scripta, sed & peccata, ut illa quidem fugiamus, ista verò imitemur: Neque hoc solum, sed monstrat insuper divina scriptura, & justos sæpè lapsos, & peccatores agentes pœnitentiam, quo utrinque sufficiens & nobis esset securitas, & neque qui stetit, confidentior sit, videns & justos posse labi, & lapsos esse.

in Gen. 6.

9 hom. 29.

XVI.

Et D. Bernhardus, Non inquam sumus nos Apostolo sanctiores, qui tamen verebatur, ne fortè cum alijs prædicasset, ipse reprobus efficeretur: Sed id tamdiu nobis timendum est, donec laqueus (corpus) contritus sit, donec corpus istud anima deposuerit.

Serm. 3. in

Psal. 91.

XVII.

Comprobant idem tristissima illa horrendorum & abominandorum lapsuum exempla in ijs, quos verè renatos fuisse, negari non potest: quorum quidam per pœnitentiam ad gratiam redierunt: quidam verò æternæ salutis fecerunt jacturam.

XVIII.

Prioris generis exempla videre est in Davide & Petro, quorum ille homicidium simul & adulterium commiserat, hic verò ter abnegando Christum gravissimè prolapsus fuerat.

XIX.

Neque enim, id quod Sacramentarij faciunt, tristissimi hi lapsus ita verbis sunt extenuandi, ut non tota eos voluntate, sed secundum exteriorem tantummodò hominem peccasse, & fidei quidem sensum ac usum, non verò ipsam Fidem, ut quæ instar ignis cineribus tecti latuerit, amisisse existimemus.

Beza Coll.

Montp. f.

464. C.

Resp. 2. ad

acta Coll.

Montp. f.



XX.

Gal. 5, 19, & seqq. Eph. 5, 5. Præterquàm enim quòd malè feriatì isti homines non probant quod dicunt: mendacij etiam apertè arguunt ipsum Apostolum, qui omnem scortatorem, immundum, aut avarum, regni cœlorum expertem esse, sonora voce pronunciat.

XXI.

Matth. 10. 33. Et Christum Servatorem, qui in sui abnegatores hanc fert sententiam: Quisquis negaverit me coram hominibus, negabo eum & ego coram patre meo cœlesti.

XXII.

Luc. 22. 32. Quare & ad Petrum, licet pro ipso oraverit Dominus, ut ne deficiat Fides ejus, tamen expressè dicit: Et tu *conversus* confirma fratres tuos.

XXIII.

Nisi enim post negationem conversus fuisset: defecisset profectò Fides ejus, ipseque æternùm periisset.

XXIV.

Gen 1, 27. Eph 4, 24. Rom. 5, 12 & 18. Ejusdem generis exemplum horrendus ille protoplastorum lapsus etiam subministrat, quos in justitia & sanctitate veritatis, ad ipsius Dei imaginem conditos, transgressione tamen sua non seipso modò, sed universos ac singulos humanæ stirpis posteros iræ Dei ac æternæ damnationis reos peregisse, Scripturarum demonstrant oracula.

XXV.

Hos ergò si Sacramentarij adversa fronte gratiâ Dei excidisse negaverint: sequetur infallibiliter aut posse aliquos maledictos, & æternæ damnationi addictos, Spiritus sancti gratiam nihilominus factam rectam conservare: aut falsum esse, quod *Gen. 2, 17.* Jehovah ipse minatus illis fuerat: Quacunq; die comederitis ex ligno hoc, *morte moriemini.*

XXVI.

Vtrumvis elegerint Sacramentarij, manifesta absurditate, imò blasphemia laborare deprehendentur.

XXVII.

Neq; enim comminatio isthæc, fulgur quod aiunt è pelvi fuit, aut inane terriculamentum: sed verè æterna morte pereundum fuisset protoplastis, nisi divina ipsis succurrisset misericordia.

28. Siqui-

XXVIII.

Siquidem uti B. Fulgentius scriptum reliquit, prima mors animæ, quam sibi homo intulit, secundæ mortis est causa; & secunda mors, quam Deus homini reddidit, primæ mortis est pœna.

Lib. 1. ad Monimum cap. 27.

XXIX.

Vnde & D. Irenæus Adamum, primum possessionis Diaboli vas factum, & sub ipsius potestate detentum fuisse captivum, expressè scribit, donec Dei superveniente misericordia condemnationis vinculis solutus fuerit.

Lib. 3. contra Valent cap. 33.

XXX.

Sed & alia hujus generis exempla nobis sacræ literæ sup-
peditant: ut Aaronis, cui ita succensuerat Deus, ut voluerit eum excindere: Apostoli Thomæ, articulum fidei de resurrectione Christi negantis: Hymenei & Miletii, qui fidei fecerunt naufragium: Corinthiaci illius incestuosi, quem Satanæ traditum ad tempus Apostolus, postmodum in Ecclesiam recipi mandat.

Deut. 9.
20.
Ioh. 17. 12.
1. Tim. 1.
19.
1. Cor. 5. 5.
2. Cor. 2.

XXXI.

Posterioris generis exempla in Saule, Iuda proditore, & alijs videre licet: quos quantumvis antea renatos, finaliter tamen excidisse, ac proinde æternum perijisse constat.

8.

XXXII.

Ad quod posterius genus referendi sunt omnes ij, qui in infantili ætate per lavacrum regenerationis verè regenerati, postmodum ubi adolescunt, fide & Spiritu Sancto excusso, æternæ salutis faciunt dispendium.

XXXIII.

Quibus ita constitutis blasphema vox est Zanchij asserentis: remissionem peccatorum semel impetratam per insequentes lapsus non posse fieri irritam; & Spiritum Sanctum semel renato datum cum eo manere in æternum.

Miscell. f. 242.

XXXIV.

Et Bezæ scribentis Petrum abnegantem Christum, & Davidem ruentem in adulterium, non amisisse Spiritum Sanctum & fidem.

suprà thes. 19.

XXXV.

Quibus pari planè & impietate & blasphemia subscribit alius quidam, affirmans, sapè complures ex numero electorum

Rennech. cat. sal. f. esse, 157. & 261.



esse, qui pessimam vitam degunt: & tamen eos in sua infirmitate majorem habere perseverantiam quàm Adam in sua perfectione habuit.

XXXVI.

Quàm autem hoc impietatis dogma cum universa Scriptura pugnet: omnes promissiones, objurgationes, comminationes divinas funditus evertat: ipsum tandem Epicurismum & ἀθεότηα plenè velis in mundum invehat; res ipsa quod ajunt, passim loquitur.

QUÆSTIO II.

An lapsis pateat postliminiò ad Ecclesiam reditus.

XXXVII.

Respondet ad hanc Quæstionem Categoricè nostra Confessio: *Docent, (Ecclesiæ nostræ,) quòd lapsis post Baptismum contingere possit remissio peccatorum, quocunq; tempore, cum convertuntur: Et, quòd Ecclesia talibus, redeuntibus ad pœnitentiam, Absolutionem impertiri debeat.*

XXXVIII.

Nititur assertionis hujus veritas & dilucidis scripturarum testimoniis, & evidentibus Exemplis eorum, qui gravissimè lapsi, redierunt per pœnitentiam cum DEO in gratiam.

XXXIX.

Hos. 14, 2.
Lezech. 18, 30.
In veteri Testamento clamat apud Hoseam Iehovah: *Revertere Israël ad Dominum DEVM tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua: & apud Iezechielem: Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas.*

XL.

Apoc. 2, 5.
In Novo, monetur Angelus Ecclesiæ Ephesinæ, ut meminerit, unde exciderit, & pœnitentiam agat, ac priora opera faciat.

XLI.

Comprobat idem firmissimè universus doctrinæ Evangelicæ scopus, qui in eo consistit, ut non semel tantùm ad fidem Christi convertendis, sed indefinitè omnibus pœnitentibus gratuita peccatorum remissio, propter Christum annuncietur.

Alioqui

XLII.

Alioqui enim prædicationis Evangelicæ de Remissione peccatorum in Ecclesia nullus foret usus; sed extra ejus pomeria, ad nondum baptizatorum sive renatorum Ecclesiam releganda esset.

XLIII.

Præterea supervacanea omninò foret solennis illa institutio potestatis clavium, Apostolis concreditæ, nisi ejus usus, quotidie erga lapsos & pœnitentes & impœnitentes exerceri posset, imò deberet. Matth. 18, 18. Ioh. 20, 23.

XLIV.

Laborat insuper Negatiua Quæstionis hujus decisio, plurimis absurditatibus. Statuendum enim foret, 1. Lapsorum peccatis DEI misericordiam, meritumq; Christi multis modis superari. 2. frustra in Oratione Dominica Remissionem peccatorum quotidie efflagitari: 3. frustra eandem nobis fide rogantibus verè obvenire, in Symbolo Apostolico credi.

XLV.

Sed quid multis in re manifesta opus est Testimonijs & rationibus, cum vel Sole meridiano clarius sit, Petrum ex abnegatione pœnitentem: Thomam ex infidelitate resipiscentem, remissis peccatis in gratiam receptos: & incestuosum illum Corinthium, quem Satanæ pridem tradiderat D. Paulus, pœnitentiam agentem, postliminò Ecclesiæ gremio insertum fuisse. Luc. 22, 32. Ioh. 20, 28 & 29. 1. Cor. 5, 5. 2. Cor. 2, 7. & 8.

XLVI.

Quibus ita constitutis, Affirmativam per omnia tenemus, ac Articuli nostri decisionem securi, lapsos quotiescunq; convertuntur, & agunt pœnitentiam, Remissionem peccatorum posse consequi: iisdemque Absolutionem ab Ecclesia esse impertientiam, statuimus.

QUÆSTIO III.

Qua partes Pœnitentiæ.

XLVII.

In describendis Pœnitentiæ partibus veris & essentialibus,
B non

non una omnium est sententia; nonnullis plures, pauciores alijs
constituentibus.

XLVIII.

Confessio nostra, naturam ac proprietatem rei considerans
duas ejus facit partes: Contritionem nimirum, & Fidem; in-
quiens: *Constat autem pœnitentia propriè his duabus partibus. Al-*
tera est CONTRITIO, seu terrores incussi conscientie, agnito pecca-
to. Altera est FIDES, quæ concipitur ex Evangelio, seu absolute,
& credit propter Christum remitti peccata, & consolatur conscientiam,
& ex terroribus liberat.

XLIX.

Expendit nimirum Confessio nostra, veræ conversionis
ad Deum *πρόσκλησις* sive requisita, quorum duo isthæc vel ma-
ximè sunt propria: 1. de admissis peccatis seridò dolere: 2. firma fi-
de promissiones Evangelij proprias apprehendere.

L.

Oritur utrumque hoc *πρόσκλησις* ex duobus illis doctrinæ
Christianæ generibus Lege & Evangelio; Cujus utriusque eti-
am, non alterutrius duntaxat ministerium, ad veram pœniten-
tiam in homine peccatore generandam concurrat necesse est.

LI.

Non confuse quidem, sed distinctè; ut doctrinæ legis
mortificatio; Evangelio verò vivificatio unice ac in solidum
adscribatur. Quemadmodum enim Lex iram operatur, Rom. 3, 10:
Sic Evangelium est potentia Dei ad salutem & odor vitæ ad vi-
tam omni credenti, Rom. 1, 16. 2. Cor. 2, 16.

LII.

CONTRITIO igitur Mortificationi directè respondens,
Legis erit propria, quippe quæ sola statuenda est, esse Concio
Pœnitentiæ sive Contritionis: FIDES verò, vivificationis gra-
tiam & vim largiens, solius Evangelij erit effectus.

LIII.

Est verò Contritionis vocabulum *ἐγγραφον*, scripturarum
autoritate constitutum. Sic enim David: Cor contritum & Spi-
ritum contribulatum Deus non abjiciet Psal. 51, 19. & Hiskias,
sicut leo, inquit, contrivit omnia ossa mea, Esa. 38, 13. &c:

LIV.

Partis hujus subjectum non est sola memoria, in nuda
tùm,

tum admissorum delictorum: tum futuri iudicij, ac suppliciorum æternorum recordatione acquiescens.

L V.

Sed ipsa potius hominis conscientia sive Animus, qui designatorum peccatorum tristi illa recordatione consternatus, non solum atrocitatem illorum verè agnoscit, sed serio etiam deplorat & deestatur.

L V I.

Est verò talis contritio, non virium nostrarum, sed ipsius Spiritus Sancti opus, qui malleo legis corda eorum, qui ad agnitionem peccatorum adduci debent, ferit & contundit.

L V I I.

DEVS enim est, qui dat pœnitentiam, & ex Diaboli laqueis, quibus irretiti tenentur, ad resipiscentiam recolligit homines: sic docente Apostolo, 2. Tim. 2, 25. & 26.

L V I I I.

Habent tamen etiam ad accendendum Contritionis dolorem haud parùm ponderis momentiq;, Pœnæ & calamitates tam publicæ & externæ, quàm privatæ & internæ: omnium verò maximè Meditatio acerbissimæ passionis & mortis unigeniti Filij DEI, si causam ejus non primam ac propriam, quæ est, Redemptio generis humani: sed subordinatam, quæ est Peccatorum atrocitas, consideres.

L I X.

Cæterùm Contritionis officium versatur non duntaxat circa agnitionem peccatorum externorum & graviorum: sed interioris magis immundicie, quæq; ex ea oriuntur delictorum omnium: qualis sunt, dubitatio de DEO, securitas, admiratio sui, superbia, ira, odium, & qui sunt hujus generis affectus inordinati & vitiosi alij.

L X.

Neque verò Contritio isthæc meriti alicujus vim obtinet, cujus vel quantitate, vel qualitate fiat, ut Remissione peccatorum potiamur: Siquidem hoc vni ac soli merito Christi d. be-
tur.

L X I.

Neque etiam Medium ea statui debet, quo gratia in Evange-

B 2

lio

lio oblato apprehendi queat. Hoc enim proprium Fidei munus esse, scriptura passim testatur.

LXII.

Sed requiritur Contritio, ad veram Pœnitentiam, partim ut Obsequium, divinæ voluntati debitum, cui cum præfractis & contumacibus peccatoribus, nunquam convenit: partim ut stimulus & ὀρμητικόν, vel etiam ut quædam quasi προπαρασκευῆ ad secuturam medicinam.

LXIII.

Non igitur, ut salutaris sit pœnitentia, efficit Contritio, quippe quæ sibi soli relicta, ad desperationem potius miseræ adigit cōscientias: Sed FIDES, altera Pœnitentiæ pars essentialis accedat, necesse est.

LXIV.

Hęc enim est vita ac anima veræ respicientiæ, quæ tranquillitas reddere potest Conscientias, legis malleo subactas & consternatas.

LXV.

Fidei autem termino noramus, non fidem historicam, si-
ve nudam duntaxat historiæ de Christo notitiam: Sed certam fiduciam, πεποίθησιν, πληροφορίαν & παρηγορίαν, qua quis vi-
promissionum Evangelicarum, de gratuita peccatorum remissione, per & propter Christi meritum, se recreat ac sustentat: & certò se in gratiam receptum esse statuit.

LXVI.

Fidei hujus naturam, objectum, causas, effectus, & quæ ejus sint notæ, τελευτή & προσηκείμενα alia: Disputatione superiore undecima expeditum dedimus: Quæ omnia huc referri & accommodari possunt ac debent.

LXVII.

Hanc fidem verè ac propriè ad ipsam Conversionis salutaris substantiam requiri, ac proindè rectè ejus partem, & quidem nobiliorem constitui, affirmamus.

LXVIII.

1. Est enim sine fide Conversio omnis manca, mutila imò nulla: 2. Fides est ὄργανον sive instrumentum illud, quo peccatorum remissio accipitur, pacis cum DEO, ac pacatæ conscientias.

entia beneficium acquiritur, Act. 10, 43. Rom. 3, 22, & 25. & cap. 5, 1. Eph. 3, 12. Act. 15, 9. Fides denique sola est id, quo inter veram & falsam, utilem atque inutilem Pœnitentiam sive Conversionem, discrimen verum constitui queat.

LXIX.

Et quia complementum veræ Resipiscentiæ, duabus istis partibus absolvitur: inde firmiter colligimus, plures Pœnitentiæ partes, dummodò proprietatem & substantiam rei attendere velimus, constitui nec posse, nec debere.

LXX.

Quodd enim haud pauci Theologi, ea, quæ extra complementum rei versantur, & eandem consequuntur potius, quàm constituunt, Partes esse volunt, ac proinde NOVAM OBEDIENTIAM tertiã Pœnitentiæ partem esse volunt: id profectò minus propriè fieri, manifestum est.

LXXI.

Neque enim Bona Opera, quæ in Scholis, Novæ Obedientiæ termino indigitantur, Pœnitentiæ pars essentialis ac *οὐσαρτην* esse ullo modo possunt: quippe quæ ipsam Pœnitentiam demùm consequuntur, & actum generandæ sive efficiendæ Pœnitentiæ minimè ingrediuntur: iam autem effectus pars constituens causæ efficientis esse nequit.

LXXII.

Et profectò laborat *τηγορωια* isthæe gemino periculo & incommodo: Nam 1. inde erroris sui ansam hauserunt ij, qui Bona opera ad salutem esse necessaria, docuerunt. Deinde, piæ mentes in luctâ fidei, ubi sæpissimè bonorum operum nulla prorsus est apparentia, succumbere necessum habebunt, si ea ad ipsam veræ Pœnitentiæ sive Conversionis substantiam, tanquam partem essentialem necessariò pertinere, edocti fuerint.

LXXIII.

Repudiatâ igitur *τηγορωια* ista, duas duntaxat Pœnitentiæ partes agnoscimus: & Novam obedientiam, fructum magis & consequens salutariæ pœnitentiæ esse, statuimus: ita, ut convertendum ea non faciat aut perficiat, sed jam conversum, quasi umbra corpus necessario subsequatur,

B,

74. Quo

LXXIV.

Quemadmodum hoc ipsum agnoscit nostra Confessio
dicens: *Deinde sequi debent bona opera, quæ sunt fructus pœnite-
tie.*

PRAS II. ARTICVLI ANTIΘETIKH.

LXXV.

In classem τῶν ἑτεροδιδασκαλῶντῶν primo loco collo-
cat Confessio nostra *Anabaptistas*, negantes, semel justifica-
tos posse amittere Spiritum Sanctum: Item contendentes,
quibusdam in hac vita tantam perfectionem contingere, ut
peccare non possint.

LXXVI.

Uterque error sanam doctrinam de Pœnitentiâ convél-
lit, & pietati ingentes remoras obijcit.

LXXVII.

Ac prior quidem ad quodvis flagitij genus perpetrandum,
sub absoluta semel sanctificationum perseverantiâ, licentiam sum-
mam concedit: vel in consternatione animorum, & gravioribus
tentationibus, ubi ne scintilla quidem ulla motuum Spiritus
Sancti reliqua sentitur, desperationi laqueum iniicit.

LXXVIII.

Posterior verò hypocriticam sanctitatis & perfectionis
absolutissimæ persuasionem hominum animis imprimit, quæ
omnem omninò Pœnitentiam enervat ac tollit.

LXXIX.

Prioris erroris fœditatem hodiè propagant Sacramenta-
rij, gentis Anabaptisticæ infelix partus: id quod supra thesi 33.
& seqq. est comprobatum: posterioris verò hæreditas ad Pon-
tificios jure successione est devoluta: id quod patet ex dispu-
tatione præcedente undecima, quæ fuit de Iustificatione homi-
nis, thesi 27. & seqq.

LXXX.

Alteram errantium classem *Novationis* assignat Confessio
nostra, inquiens: *Damnantur Novatiani, qui volebant absolvere
lapsos post Baptismum, redeunt s ad pœnitentiam.*

LXXXI.

Contendebant enim, teste Epiphanio, μετὰ τὸ λῆψεν μὴ
κετλ

νέτι δὲ οὐδὲ ἐλεῖ δὲ τὸν πεπτωκότα, post lavacrū regenerationis
misericordiam amplius consequi non posse eum, qui lapsus fue-
rit.

LXXXII.

Opponimus furori huic, ea, quæ pro affirmativa fuerunt
ex sacris modò producta & testimonia, & exempla: & cū Chry-
sostomo exclamamus: *χιλιάκις μετανόησας εἰσελάθη.*

LXXXIII.

Tertium hæreticorum in hoc articulo agmen ducunt Pon-
tificij, quos ideò Confessio nostra rejicit, quia docent, *Remissio-
nem peccatorum non per fidem contingere, sed jubent nos mereri gra-
tiam per satisfactiones nostras.*

LXXXIV.

Fidem enim omnem, ex Conversionis nostræ opere ipsos
expungere, vel inde manifestum est, quòd Pænitentix partes,
omissa fide, tres alias constituunt: nempe 1. *Cordis contritionem,*
2. *Oris Confessionem.* 3. *Operis satisfactionem.*

LXXXV.

I. CONTRITIONEM illi requirunt non talem, qualem
ex verbo Dei jam definivimus, sed omnibus numeris perfectam
& absolutam, quæ commissorum delictorum atrocitatem æquet,
quæq; non modò de congruo, verum etiam de condigno, pec-
catorum Remissionem promereatur. Rob. Bellar. Tom. 2. pag.
1295. & seqq.

LXXXVI.

Talem contritionem nos ex numero τῶν ἀδυνάτων, rerum
planè impossibilium esse, & præter miserrimam conscientiarum
carnificinam, nihil quicquam obtinere, arbitramur.

LXXXVII.

Neque enim ullius hominis dolores, quantumvis acerbi,
tàm intensivi, quàm appreciatiivi, (uti Iesuita Bellarminus lo-
quitur) vel in infimo gradu magnitudini iræ divinæ, vel com-
missorum delictorum atrocitati respondere unquam possunt.

LXXXVIII.

II. DE CONFessione ORIS sic docent Ponti-
ficij: 1. Specialem omnium delictorum confessionem coram
ministro edendam esse. 2. Hanc ita debere esse exactam, ut non
modò ipsæ factorum species, sed circumstantiæ etiam omnes,
quæ:

quæ speciem facti mutare potuissent, & id quidem singulorum atq; omnium peccatorum exprimantur. 3. Hanc ita absolutè esse necessariam, ut cujus peccati non sit talis coram Sacerdote facta Confessio, illud etiam minimè remittatur.

LXXXIX.

Talem Confessionem ab universâ Ecclesiâ semper fuisse retentam, institutam à Domino: omnibusq; post baptismum lapsis ad salutem *jure divino* esse necessariam, Synodus Tridentina definivit, anathematis stricto gladio in eos, quotquot contra disputare ausi fuerint.

Sess. 4. c.
5. & sess.
14 c. 5.
Can. 6, et
seqq.

XC.

Sed benè habet: Brutum hoc est fulmen. Scriptura sacra talem Confessionem Auricularem, qualis à Pontificijs describitur, neq; juris divini, neq; à Christo institutam esse, testatur: neque ab universâ Ecclesia illam semper retentam fuisse probari potest.

XCI.

Quod si enim Iuris divini ea est, monstrent expressum verbi divini mandatum: monstrent promissiones ei factas: monstrent exempla Sanctorum hominum, quorum Pœnitentiâ tali Confessione nitatur. Quod dum præstare nequeunt, putridam & putidam suam causam satis produnt.

XCII.

Meminerint enim, quid Panormitanus (super cap. Omnis utriusque; de pœn. & remiss;) definiverit, nempe Confessionem auricularem non esse Iuris divini, sed humani.

XCIII.

Cui ad stipulatur Ius Pontificium, quod in glossa decreti de pœnit. dist. 5. cap. 1. sic habet: *Melius dicitur, Confessionem institutam esse à quadam generali sive universali Ecclesiæ traditione, quam ex veteris aut novi testamenti autoritate.*

XCIV.

Sic de universali Ecclesiæ consensu, quo Confessio isthæc Auricularis probari queat, quod garrunt Romanenses, nimis dilutum est.

XCV.

Quemadmodum enim in primitiva Ecclesia quoddam
fuit

fuit Confessionis privatæ genus, quo pœnitentes presbitero graviora delicta, quibus Ecclesiam offenderant, in specie confitebantur: tamen neq; Pontificiorum Confessione auriculari erat illud simile: neque etiam ad id Ecclesiæ absolutâ quadam necessitate astringebantur: verùm liberrimus ejus relinquebatur usus.

XCVI.

Vnde factum, ut postea in Orientali Ecclesia, Nestarius Episcopus Constantinopolitanus, suadente Eudemone Alexandrino, Ordinem Pœnitentiarum abrogarit, liberamq; fecerit potestatem, ut pro suâ quisque Conscientiâ ad mysteria participanda accederet: Eo pacto, inquit, futurum, ut Ecclesia omni tali careat macula infamiæ, qualis ex confessione particulari matronæ cujusdam nobilis Ecclesiæ fuerat iniusta. Socrat. l. 5. hist. eccl. cap. 19. Sozom. l. 7. cap. 16.

XCVII.

Augustinus profectò suis in scriptis passim, Auricularem hanc Confessionem Pontificiam mirè exagitat: ut lib. 10. Confessionum. cap. 3. inquit: *Quid mihi ergò est cum hominibus, ut audiant Confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes languores meos? Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam: desidiosum ad corrigendam suam. Quid à me quarunt audire, qui sim, qui nolunt à te audire, qui sint? Et unde sciunt, cum à meipso de meipso audiunt, an verum dicam? quandoquidem nemo scit hominum, quid agatur in homine, nisi Spiritus hominis, qui in homine est.*

Tom. 1.
Col. 161. d.

XCVIII.

Augustino adstipulatur ipsa etiam scriptura; Psal. 19, 13. Delicta quis intelligit: ab occultis munda me Domine. & Psal. 32, 5. Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam: & tu remisisti impietatem peccatorum meorum.

XCIX.

Quibus ita constitutis, meritò Confessionem auricularem qualem Romanenses Conscientiarum tortores describunt, explodimus, explosam ad orcum relegamus: statuentes interim cum protestantibus nostris, Generalem peccatorum Confessionem cujus usus in Ecclesijs nostris hodieq; obtinet, rectè observari & posse & debere.

C

100. Quia

C.
Quin imò & illud largimur, posse etiam in specie quorundam peccatorum à perturbatis Conscientiæ confessionem ediorum nimirum, quorum recordatio animum subinde divexat, & firmarum Consolationum radices incidit.

CI.
Neque tamen istam Confessionem vel Sacramentalem, vel absolutæ necessitatis esse, vel singulos & universos ad usum illius astringi arbitramur: siquidem expresso scripturarum testimonio hac in parte prorsus destituimur: Sed pro libertate usus arbitrarij, ab Ecclesia hætenus eam servatam fuisse, ac deinceps etiam servandam esse, statuimus.

CII.
Causa facti hujus est multiplex: 1. privatæ absolutionis ingens utilitas in gravaminibus conscientiæ sedandis. 2. Notæ discriminis, quibus inter oves suas pastores animarum rectè dignoscere queant. 3. Exploratio profectus auditorum in doctrina fidei: excusio torporis: confirmatio in proposito pietatis: exploratio dignitatis participare volentium sacra Eucharistia &c.

CIII.
III. SATISFACTIONEM OPERIS definiunt Pontificij, quòd sit operatio exterior, laboriosa seu pœnalis, voluntariè assumpta ad puniendum peccatum à se commissum, & ad placandam divinam offensam.

CIV.
Vel ut habet Catechismus Romanus, Satisfactio est compensatio, cum homo pro peccatis commissis, Deo aliquid persolvit.

CV.
Eam faciendam esse autumant per opera pœnalia & indèbita, Eleemosynas, jejunium, orationem.

CVI.
Effecta etiam ejus constituunt, redimere delicta, abluere sordes animæ, placare Deum, eumq; reddere propitium, & extinguere peccata: ut ait Lindanus, lib. 4. Panoplæ, cap. 27.

CVII.
Ovid. l. 2. Fast. Videtur ἑτέλυμα hoc à Gentilium lustrationibus suam traxisse originem, de quibus Poëta:

Omne.

*Omne nefas, omnemq; mali purgamine causam:
Credebant nostri tollere posse senes.
Græcia principium moris fuit, illa nocentes
Impia lustratos ponere facta putat.*

CVIII.

Verùm quis pius est, qui non ad hæc nugas, rectius ineptias ingemiscat, plusquàm Cimmericas Synagogæ Romanæ tebras deplorans: vel saltem (si modò in rebus ad eò serijs risus locum habere potest) cum Poëta ineptissimas hæc nœnias rideat, exclamans:

*Ab nimium faciles, qui tristia crimina cædis
Fluminea tolli posse putatis aquâ.*

CIX.

Blasphemij in sacratissimum Christi meritum isthæc scate-
re, pio cuius est manifestissimum: Novit enim Christum solum
esse propitiationem pro peccatis totius mundi, ipsumq; non pro
culpâ duntaxat, sed pro pænâ etiam perfectissimum & sufficien-
tissimum Deo patri λύτρον exolvisse. Ies. 53, 5. Mich. 7, 18, & 19.
1. Ioh. 2, 2. Ioh. 5, 24. 1. Pet. 2, 24. &c.

CX.

Et quamvis in primitiva Ecclesia fuerit aliqua solennis pœnis
rentiæ & satisfactionis impositio: sine tamen opinione meriti,
non omnibus pœnitentibus, sed ijs duntaxat ea imponebatur,
qui enormi & graviore aliquo delicto Ecclesiam offendissent: ac
propterea excommunicati, non Deo, sed disciplinæ Ecclesiasti-
cæ satisfecissent.

CXI.

Quam Ecclesiasticam disciplinam uti modis omnibus pro-
bamus: ita Pontificiam Satisfactionem, quippe quæ cum illa
commune nihil obtinet, neque S. literarum autoritate nititur,
reijcimus & detestamur.

DEO GLORIA.

Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including names like "LEONHART" and "JACOBI".



4/1935 a


ULB Halle 3
001 541 250



56







77

DISPUTATIO XVIII.
DE POENITENTIA ET
CONFESSIONE

*Ex XI. & XII. Confessionis Augustanae Articulis:
Item IIII. Abusuum mutatorum.*

De qua

Auxiliante Deo Trinuno

Praside

LEONHARTO HVTTERO, S. Theos
logiae Doctore, & Professore publico:

Respondebit

*M. CASPARUS PAMLERUS
Reichenbacensis.*

Mense Aprilj, horis locoq; solitis.



WITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri,
Anno cl^o l^o XCVIII.

